

Or. 186 . 18

Vk
2477

Epitome ad sanc-
tissimū dñm nostrū Papā Ju-
liū secūdū sup vita miraculis ⁊
sermōnia diui p̄is Gemonis
Ep̄i quōdā insignis et ingenuē
ecclie Missnē Anno M.cccc.v



100000 100000 100000
100000 100000 100000
100000 100000 100000
100000 100000 100000
100000 100000 100000
100000 100000 100000

UNIVERSITÄTS- UND
LANDESBIBLIOTHEK
SACHSEN-ANHALT



Diuo Julio secūdo pōtifici maxi-

mo post deuotissima beatorū pedū oscula Hieronym^o Emser
ducalis secretarius hāc ducentorū versū elegiam in Apotheo-
sim. i. canonizacionē diui Bennonis episcopi quōdā Missnē.
q̄ humillime dedicat.

Arme pontificum. sanctissime pastor Juli
Qui geris ecclesie stemmata. sceptrā. typum
Nec solum ecclesie. sed totius vr̄bis et orbis
Es caput et princeps. institūte deo

Non mea diuinas tractant modo carmina laudes

Ista tuas. tanto non bene digna patre

Has ego Romanis ornandas linquo poetis

His quibus ingenium maius Apollo dedit.

Est aliud quod nos mouet. est facilis. pia. sancta

Quae venit ad sacros nunc tibi causa pedes.

Hanc ego si superis. et te presente. fauente.

faustiter exorem. sat mihi Musa facit.

Sed ne pertetas. primis ambagibus. aures

Efficiam dias. accipe diue pater.

Vr̄bs antiqua iacet. vastis vicina Boemis

Monte racemifero nobilis. atq; solo

Mobilis argento gemmis omnisq; inuere

Diuitijs. Missnam Theutona lingua vocat.

Illius ad calcem frendens Aquiloneus Albis

Aere suspenso ponte superbus abit

Ast in supremo iunguntur vertice. pulchre

Pulchrior ecclesie regia. digna Joue.

Regia que parijs totum formosa columnis
Dardanias arces posthabuisse queat.
Nec etiam secto lapide. et testudine mira
Vincit quas omnes vidimus ante domos
Sed tamen ecclesie iuncte non vltima laus est
Libera q̄ nulli ni tibi Papa subest.
Condita q̄ magnis quondam est Ottonibus. et q̄
Misniaco semper principe tuta fuit.
V̄q̄ eius clerus tota cultissimus vrbe
Plenus honestatis. sobrius. atq̄ sacer.
A quibus assiduo laudantur carmine diui.
'Hic cantant hymnos nocte dieq̄ sacros
'Hic ducibus. hic presulibus commune sepulchrum
'Hic sunt sanctorum corpora multa patrum
'Hic meus Albertus fama super ethera notus
Saxonice nuper gloria prima domus
'Hic truncibus pendent Laucis ablata trophea
Quos docuit dux hic Saxona frena pati
'Hic hic imprimis. nostri farrago libelli.
Benno iacet media conditus ede sacra
Benno qui hic quondam meritis dignissimus altis
Presul erat decimus. pastor et vsq̄ bonus
Ad cuius tumulum glomerantur pendula vota
Moltus vt accepta contulit eger ope
Cernitur hic lacero confossus pectore ferro.
'Hic alius fracto crure. perire timet
'Hic cecidit summa quondam resupinus ab arce

Ille fuit rapidas obrutus inter aquas
 Hic trahit in medijs positus suspiria flammis.
 Hic cinctus valido corripit hoste fugam.
 Hic queritur febres. alius fera tormina ventris.
 Hic misero nervos vellet abesse pede
 Deniq; quisquis adest placida redit inde salute
 Nec patitur cassas Benno fuisse preces.
 Sensit opem princeps. sensit sua candida coniunx
 Que prius egroto fleuerat vsq; viro
 Nunc formosa suo ridet coniuncta marito
 Et pendit diuo cerea vota patri
 Inde frequens alijs etiam de gentibus illuc
 Accelerat varijs turba grauata malis
 Huc veniunt Thurij. Pruteni. Sarmata. Slaus
 Huc vicinus agit sepe Bohemus iter
 Sepe etiam admonitus media per somnia. nocte
 Huc tulit arctoo Lymber ab axe pedem
 Nulle. licet veniant. referunt quoq; mille salutem.
 Arguit hoc sanctū scilicet esse virum
 Nam licet hoc nulli sacro sine numine diuum
 Nemo malus tanta et talia signa facit
 Et tamen (indignum) tria iam per secula et vltra
 Quis pollet meritis his magis atq; magis
 Nemo hunc pontificum merito dignatus honore est.
 Nemo inter sanctos rettulit. ante sacrum.
 Hoc ego dum mecum nuper stomachatus acerbe
 Nunc hos. nunc alios. insimulando rei

Ingemui tantam. tanto latuisse tenebris.
Tempore virtutem. tot benefacta viri
Scilicet inuidia fieri potuisse putabam
Que (nisi non valeat) supprimit omne bonum
Accusabam omnes quibus hic benefecerat olim
Sed plus canonicos Misniacosq; viros
Nec deerat multum quin tunc hominesq; deosq;
Dixissem ingratos immemoresq; boni
Donec in infuso (quo nescio numine) somno
Benno mihi visus talia verba dare
Insimulas falso sanctos Hieronymo patres
falso indignaris fratribus inde meis
Non est pontificum. non est incuria fratrum
Quod mihi nondum aras constituere sacras
Nec minus ambrosia vescor. vel nectare potor
Nil facit ad sanctos hic popularis honor
Qui vitam innocue vixit. hic esto beatus
Siue etiam rodant membra relictas fere.
Sed ne te maceret nostri tam feruida cura
Quando mihi liceat thura adolere. scies
Hoc fiet. sic fata iubent. quo tempore magnus
Julius in Petri sede secundus erit
Ille meum nomen sanctorum ponet in albo
Ille coronabit tempora sacra manu
Hic honor est illi longis seruatus ab annis
Tum virtute viri. tum pietate dei
Qui procul aspiciens magnas hoc tempore clades

Et sacre fidei quanta ruina foret
Fecit vt abscessis saltem vicina Bohemis
Misna et Saxonum splendida tota domus
Confortata meis meritis sanctiq; Joannis
Non sineret pessum funditus ire fidem:
His dictis Benno subitis euauit alis
His dictis somno sum resolutus ego
Quare age iam Christi summe et diuine sacerdos
Ne penitus nostra somnia vana putes
Neu credas tibi verba dari aut nos fingere nugas
Tanta Bennonem laude canendo sacrum
Nam si vel vitam vel si miracula spectes
Ostendunt sanctum singula facta virum
Ostendunt siccis vel flumina transita plantis
Aut in fluminibus squamea turba latens
Illese vestes ossa inconsumpta fatentur
Plus sexaginta condita lustra solo
Et quam perrexit vnam via longa per horam.
Fertilioz sacro pressaq; terra pede
Ostendunt veteres mira et memoranda coloni
Cum quibus hic vixit non sine laude pater.
Dixit enim viduis. pupillis. vixit egenis
His quoq; distribuit. non cumulauit opes
Nec tulit in molli corpus torpescere pluma
Aut in purpurea luxuriare toga
Quin indefessus iusti zelator et equi
Pro grege deuouit remq; animamq; suo

Pro grege porrecta crudelia verbera palma
Pertulit et pugnosc exiliumque suo
Hinc viuento illo. subiectos nemo Tyrannus
Ledere tentauit. nec violare sacra.
Aut si tentauit quisque. nec mortuus illos
Sustulit impunes. sed gravis ultor erat.
Pars pede succenso. tumido pars gutture sensit
Quid valeant sancti numina lesa viri
Sunt qui luminibus capti. qui morte piati
Sacrilegum luerint eluerintque scelus
Multa tamen maiorque sue pars conscia culpe
Dum fleuit cepti facta nephanda sui.
Lunq; dolens alto traxit suspiria corde
Et meruit veniam. restituitque duplum
Nulla est tam vehemens ira aut vindicta deorum
Quin vbi peniteat flectere possit homo
Quis peccat veniam non exauditus ab illis?
Quis frustra ingemuit? quas renuere preces?
Precipue Benno. nullis mortalibus vnq;
Difficilis. nullis iusta petita negans.
Nullis eripiens quicq;. quin largiter illis
De proprijs solitus contribuisset bonis.
O vtinam cunctus tanti vestigia patris
Clerus anhelaret pone subire. sequi
Sic etenim fame plus. sic et honoris haberet
Et rixe et litis inuidieque minus.
Nunc vero quia pars digito scalpit caput vno

Vixit et exemplo fabula facta suo
Nec pastor. sed raptor oues deglubere querit
Et docet hoc aliud. hoc aliudq; facit.
Quid mirū si quando sua discrimina culpa
Incidit. et patitur non pacienda bonis?
Quid si collectas dudum vi. fraude. doloq;
Vi quoq; diripiat mobile vulgus opes?
Et faciet. ni tu meliora pūssime Papa
Orbe reformato secula reddideris
Nec etenim de te spes est mortalibus vna.
In te cunctorum lumina versa scias
Nam q; iusticie q; religionis amator
Magnanimus prudens. sis bonus. atq; pius
Mos docuit nuper nostras Raymundus ad oras
Missus Romane presbyter ecclesie
Presbyter et Cardo nec tantum cardine dignus
Sed cui committi ianna tota queat
Integer. innocuus. hic est pater. albus et insons
Nec turpis vicio captus auaricie
Imprimisq; tui vehemens defensor honoris
Laudator. cantor. precoq; Stentoreus
Nunc olim vidi tentatum mille periclis
Blandicijs. precibus. munere. fraude. minis
Nec voluit iusto digitum discedere latum
Nec flecti potuit plus adamante rigor.
Nic quoq; (ne vana credas nos scribere causa
Que de Bennone carmina nostra sonant)

Affuit et Missine peragens sua mistica sacra
Illius vidit. scepra. sepulchra. togam
Vidit et omnigene concursum. votaꝝ gentis
Ut quisqꝫ affectus siue grauatꝫ erat.
Tunc quoqꝫ et ipse virum genibus veneratus. et ore
Testem pollicitus se fore in urbe fuit
Testis item. multo quoqꝫ Brixinensis honore
Clarus. Cardineo clarus et ille choro
Nec deerunt aliꝫ. magnus modo Julius assit
Et tribuat digno debita iura viro
Hoc quoqꝫ te princeps noster. cum principe clerus
Cum clero populus. musaqꝫ nostra rogat.
Nec decet vlla tuos. pater. inclementia mores
Annue. communis quando honor iste tibi
Annue tum longos postqꝫ feliciter annos
Orbe reformato repperis. astra petas.


Teles.

X 2207164

Handwritten blue ink scribbles, possibly representing a signature or initials.

mic





Ms. 186. 18

Vk
2477

Epitome ad sanc
tissimū dñm nostrū Papā Ju-
liū secūdū sup vita miraculis ⁊
sermōnia diui p̄is Hennonis
Ep̄i quōdā insignis et ingenue
ecclie Missenū Anno M.cccc.v

BIBLIOTHECA
PONICKAYANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SALLE)